



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 152. Quid notandum sit circa resignationem per procuratorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

tio ad alios 9. menses, postmodum ad alios duos, denique ad alios septem; nec ultra hos duos annos datur prorogatio.

1032 Q. 152. *Quid notandum sit circa resignationem per procuratorem.* R. Seqq.

§. I. Potest resignatio fieri per procuratorem, quia qui potest aliquid per se, etiam potest per alium, nisi lege prohibeatur, l. *Labeo ff. de procurat.*, nulla autem lex prohibet sic fieri, nisi quis sit praesens intra muros vel suburbia Romana, tum enim per Reg. 24. Cancell. debet per seipsum praestare magnum consensum. Vide *Leur. p. 3. q. 672.*

1033 §. II. *Bellam. Paris. Az. Castrop.* apud *Leur. q. 673.* dicunt procuratorem non posse simul & semel constitui ad beneficium idem accipiendum & dimittendum, quia quamdiu principalis non habet beneficium, voluntas & mandatum dimittendi est nullum & de subiecto non supponente: sed non video, cur mandatum dari non possit pro tempore futuro, quo habebit beneficium: hoc tamen videtur inordinatum, si velit statim dimittere beneficium, secundum dicta à n. 859.

1034 §. III. Laicus potest esse procurator ad resignandum, uti & ad acceptandum beneficium, quia nomine alieno agit tanquam purus Minister mandati, *Paris. Laym. Leur. q. 674.* Potest etiam esse Religiosus, si Superior consentiat & sit in utilitatem conventus, *Zabarel. Az. Castrop. Leur. q. 675.* contra *Vital. & Paris.* Possuntque plures constitui, vel in solidum, ita ut singuli seorsim possint consentire, vel tantum in simul, quo casu sufficeret unum consentire post alterum, *Paris. Az. Leur. q. 677.* Posset etiam non tantum in permutatione unus utriusque permutantis esse procurator, uti dicitur n. 1089, sed etiam in resignatione unus idemque

que dimittere beneficium pro resignante & illud admittere pro resignatario, *Paris. Az. Castrop. Leur.* q. 678.

§. IV. Pro resignatione apud Ordinarium sufficit procuratorem constitui per privatas litteras, uti & pro danda supplicatione in Curia & præstando parvo consensu, ad magnum tamen consensum præstandum exhiberi debet mandatum scriptum manu Notarii publici, exprimens locum, in quo fit, voluntatem mandantis ad resignandum beneficium istius nominis & loci, obsignatum sigillo Judicis Ordinarii & communitatis, recognitum à mandante, subscriptum à Notario, *Paris. Az. Castrop.*, Debetque procurator esse specialiter constitutus ad resignationem hujus vel horum beneficiorum, *Bursat. Bellam. Rebuff. Paris.* Nec potest agere procurator, nisi mandatum scriptum in manibus habeat & videat ejus clausulas, *Paris. Az.* Huic autem tradi potest à quocumque, quia subscriptiones sufficientem fidem faciunt, *Paris. contra Rebuff. Vide Leur.* q. 679. & seqq. Sed quoad ista maximè spectanda est consuetudo & praxis Curiae.

§. V. Jus non statuit tempus, intra quod procurator debeat pro principali resignare: si tamen fiat in Curia, debet à parvo consensu intra sex menses præstari magnus, *Paris. Az. Castrop. Leur.* q. 684.

§. VI. Constitutio procuratoris non impedit, quominus Principalis per seipsum resignet, unde si hic resignet in Octobri apud Ordinarium, & Procurator in Novembri apud Papam, valet resignatio Principalis, *Castrop. Leur.* q. 686. contra *Abb. Bald. Menoch. Felin. Paris. Az.* An autem procuratori debeat prius intimari revocatio mandati, dicitur n. 1039. & 1041.

1038

§. VII. Procurator nil potest ultra fines mandati, uti per se patet. Si habeat potestatem resignandi, in quem volet, non potest resignare in seipsum, quia tale mandatum continet tres personas, mandantem, mandatarium & tertium. Si resignet in inhabilem in scio mandante, beneficium non vacat, quia excessit fines mandati, *Paris. Leur. q. 689.* Si constitutus ad concordandum super beneficio quibuscumque conditionibus, resignet beneficium, resignatio est nulla, quia cum resignatio sit datio, non præsumitur, nisi exprimat, *Paris. Leur. q. 690.* Si reperiantur duo mandata eodem planè modo & tempore facta, sed ad oppositos effectus, neutrum valet, *Rota, Selv. Paris. Leur. q. 688.* Resignatio facta per procuratorem, postea præsumitur facta cum mandato, *Simonet. Paris. Leur. q. 692.*

1039

VIII. Mortuo mandante, quamvis id nesciat procurator, cessat mandatum, si res sit adhuc integra, quia cum beneficium jam vacet per mortem, non potest vacare per resignationem, *Clement. ult. de procurat. Az. Paris. Castrop. t. 13. d. 6. p. 2. §. 4. n. 9.* Res autem integra non est, si præsentatâ, signatâ & datatâ supplicâ procurator adhuc vivo mandante Romæ præstiterit parvum consensum, tum enim debet etiam postea mortuo mandante præstare magnum, & valet resignatio, *L. nam & Servius, §. si vivo Titio, ff. de negot. gest.;* sed *Paris. & Az.* volunt faciendum intra annum à morte mandantis; è contrâ *Chok. & Leur. q. 266.* dicunt fieri posse etiam post 4 annos, etiamsi mandans ante mortem mutasset voluntatem, dummodo hoc non fuerit intimatum procuratori, *Clement. 1. de Renunc.* Quòd si ipsemet Principalis dedisset parvum consensum, & dato procuratori mandato de præstando magno consensu moreretur, cessaret mandatum, quia
respectu

respectu procuratoris, qui nihil adhuc egisset, foret res integra, *Paris. Az. Chok. Leur.* ibid. Similiter si procurator non ex vi mandati sed tantum per litteras rogatus presentasset supplicam vivo principali, hoc mortuo non posset prestare magnum consensum, ita quoad omnia. *Paris. Az. Leur.* q. 694. E contra si procurator vi mandati porrexerit supplicam sub pensione vel regressu in favorem mandantis, valebit resignatio, etiam si post mortem mandantis praestet consensum, *Paris. Az. Leur.* ibid. Et quod dictum est de morte mandantis, valet de furore superveniente, quia furiosus habetur pro mortuo, *L. 1. §. furiosus, ff. de acquir. possess. Mascard. Paris. Leur.* q. 695. Et idem videtur esse, si mandans removeatur ab illo beneficio, quia moritur civiliter; innuit tamen *Paris.* procuratorem tum non posse pergere, nequidem re incepta, *Leur.* q. 696. Mors autem mandantis non praesumitur, sed probari debet, *Paris. Az. Masc.* de prob. conclus. 1069.

§. IX. Procurator hic revocari potest, *Clement. 1040* l. 1. t. 4.; Licet adjectum sit iuramentum non revocandi, quamvis enim revocans tum sit perjurus, at tamen valet revocatio, *Selv. Mob. Rebuff. Paris. Tond. Leur.* q. 697. Etiam si id jurarit tam resignatario quam procuratori, *Paris.* contra *Bald.* Potestque revocatio fieri tantum tacite, v. g. constituendo alium, quia dato posteriore procuratio prioris esset revocata, *Cap. Non injuste, 14. de procur.* Quod tenet, etiam si secundus non acceptarit mandatum, *Mant. Bellam. Tond.*; Si tamen per primum voluit resignare in favorem Titii, per secundum in favorem Caji, qui tunc fuerit mortuus, *Rota & Paris.* dicunt non revocari primum, quia revocatio censebatur esse sub conditione, si poterat prodesse Cajo;

sed *Tond.* putat in constitutione secundi debuisse exprimi, citra revocationem primi. Vide *Leur.* q. 698. n. 1. & 2.

1041

§. X. Ut revocatio valeat, debet fieri ante consensum, quo perficitur resignatio: valet tamen revocatio facta post supplicam etiam signatam & datatam; etiam post præstitum in Curia parvum consensum, quia Principalis etiam tum poenitere posset, uti dictum est n. 971. Item revocatio debet esse intimata vel procuratori vel admittenti resignationem, nisi hoc sit malitiosè impeditum, aut constitutio procuratoris esset facta ex metu, *Clement.* l. i. t. 4. *Rebuff. Selva, Paris.* Et non sufficere, quòd procurator revocationem aliunde resciat, docent *Gl. Zabbar. Vital. Felin. Rebuff. Paris.*, quamvis alii probabiliter putent sufficere certam notitiam undecumque haustam; saltem ad suspendendum mandatum satis erit mandantem per litteras significasse procuratori, ut ficitur tantisper, *Paris. Az.*; invalidè tamen resignat Principalis apud Ordinarium, antequam revocatio sit notificata procuratori constituto pro resignatione apud Papam, *Barbat Selv. Paris. Tond.* contra *Felin.* putantem resignationem Principalis prævalere, si sit prior tempore. Si autem illa notificatio fiat Superiori, debet Romæ fieri tam in Camera quàm Cancellaria, quia in hac & illa expediri potest resignatio; si autem fiat procuratori, & plures in solidum sint constituti, debet fieri singulis; denique putant *Selva, Rebuff. Paris. Tond. Luca* disc. 38. & 40. n. 10. contra *Felin.* sufficere, quòd revocatio intimeretur etiam soli resignatario. Vide *Leur.* q. 698. à n. 3.

1042

§. XI. Si eadem die, quâ præstatur consensus, fiat revocatio mandati procuratorii, consensus ceteri debet præcessisse revocationem, quia præsumitur

cur pro validitate actus, usquedum probetur tem-
pus antecedentis revocationis, *Rota, Paris. Leur.*

q. 699.

§. XII. Revocans mandatum tenetur compen- 1043
sare damna procuratori ratione mandati vel inchoa-
te resignationis causata, *Bald. Rebuff. Tond. Leur.*

q. 700.

§. XIII. Si resignatio plena totius beneficii sit 1044
sortita effectum & dimissa possessio, cessat officium
procuratoris constituti ad causas illius beneficii, arg.
Clement. ult. de procurat., beneficiatus enim est tum
civiliter mortuus illi beneficio, *Rota, Mand. Sarn.*
Paris. Leur. q. 245.

Q. 153. Quid dicendum sit de resignatione fa- 1045
cta ex metu, dolo, vi. *R.* Supponenda sunt & hic
applicanda dicta l. 3. p. 2. à n. 608., ubi explicavimus,
quomodo consensus in contractum debeat esse liber
à vi, metu, dolo: adde tamen seqq.

§. I. Ad valorem resignationis requiritur con-
sensus spontaneus, liber à metu, dolo, vi, *Cap. Ad*
audientiam, *Cap. Abbas*, *Cap. Ad aures*, De iis,
quæ vi metusve causâ fiunt, *Cap. Accepta*, de Re-
stit. spoliat., & AA. omnes cum *Leur. p. 3. q. 701.*

§. II. Resignatio facta ex metu non valet, licet 1046
firmetur juramento, à quo tamen absolvi quis de-
bet, antequam beneficium repetat; nec plus vult.
Cap. Ad aures, supra, *Nav. Paris. Az. Garc Lu-*
ca, Leur. q. 702. Non est tamen ipso jure nulla,
sed venit irritanda, *Garc. Leur. q. 703.* contra *Hofst.*
Vital. Butr. & alios. Excipiunt *Paris. Az. Castrop.*,
si vi incarcerationis per laicum extorqueatur, tum
enim est ipso jure nulla per *Clement. l. 5. t. 8. c. 2.*
Hic autem per metum intelligitur gravis, cadens in
constantem virum, de quo videri potest etiam *Leur.*
q. 704. Et cum metus sit aliquid facti nec præsuma-
tur,